

magnis & seriis rebus. Etenim non communium saltem casuum exempla suppeditant, quibus velut admoniti, de mortalium rebus prudentius judicent; sed & ad virtutis studium vitiorumque fugam persuadendi humana ingenia multum momenti afferunt. Et quoniam moralis Philosophiæ officium est, regere mores, ac refingere in melius, qui probantur minus, vel eo nomine non reprobandi sunt scenici ludi, quia egregiè faciunt ad eos emendandos. Compositi illi atque laudabiles gestus, vocis vultusque decora moderatio, affectuum seu passionum animi multiplex & varia expressio, non aliunde melius, quam privatae vitae civilisque conversationis magistræ, *Comædia*, beneficio addiscimus. Memoriae denique cognitionique insigniter consulit, dum res pace belloque præclarè gestas vel in memoriam revocat obliviosis, vel ignorantibus explanat.

XIX. Quamvis autem sententia nostra rationibus satis firmè confirmata sit, non desunt tamen Calvinianorum plurimi, qui ludos scenicos omnes promiscuè damnant. Ex multis *Amesium* saltem *Rivetumque* sisto, quorum prior *in cas; consc. l. 5. c. 39.* posterior *in Praelect. inc. 20. Exod.* universa exercitia scenica proscribit, quorum argumenta ut eò melius solvere possimus, monemus (1.) nos scenicos ludos hinc non spectare *concretè*, quatenus plurima vitia habent conjuncta, sed *absolutè ac abstractè*, præscindendo à re ista, quæ ipsi in singulari accidentaliter adherent, quæ licet unquam abesse ab hodiernis ludis histrionicis *Adriano Heerebord. Excer. Eth: 59. §. 4.* non videatur verisimile, nobis tamen sufficit, quòd à re ipsa sint separabilia, cum eidem in esse suo constitutæ *accidentaliter* superveniant. Neque enim (2.) probamus *vulgariam illorum mimorum vana spectacula*, qui ut ipsi plerumque vitiis sunt inquinatissimi, ita rarissimè honestatis curam agunt, sed turpi inhiantes lucro, rem omnem ad spectatorum componunt risum, scurrilitati potius, quam honestæ recreationi inservientes. Quodsi autem à personis virtuti ac literis operam dantibus, non lucri, sed honestæ delectationis causâ, instituantur, ecquid id tàm improbare posset? (3.) Quod attinet ludorum scenicorum *materiam*, ea vel *biblica* est, vel *profa-*